

Ab eisdem quoque Monachis Abbatem eligi decernit. Nonnullaque concedit privilegia.

Cum solitis exclusionibus.

Eugenii PP. & S. R. E. Card. sub- scriptiones.

Dat. die 3. Maii anno Domini 1153. Pont. an. IX.

communi consensu, vel fratrum pars consilii fanioris, secundum Dei timorem, & B. Benedicti Regulam providerint eligendum. Sepulturam quoque vestri Monasterii, & locorum ad ipsum pertinentium, sicut hactenus habuistis, secundum antiquam consuetudinem, liberam & quietam permanere censemus; nec Archiepiscopus vel Episcopus aliquis tam ipsum Sarlatense Coenobium quam Fitense & Issigiacense Monasteria, seu Abbatis personam interdiceret vel excommunicare presumat; nemo inobedientes Monachos contra Abbatem manu teneat; nullus circa Ecclesias vicinias solito fundare presumat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, prefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibusdam vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Ad iudicium autem, huius a Sede Apostolica percepta libertatis de superaddito Sarlatensi Monasterio aureum unum, de Fitensi vero alterum, de Issigiaceusi alium, quotannis nobis nostrisque successoribus persolvatis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat; Cunctis autem eidem Loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

EGO EUGENIUS Catholicae Ecclesiae Episcopus. Ego Conradus Sabinensis Episcopus. Ego Otto Diacordus sancti Georgii ad Velum aureum. Ego Jacinthus Diaconus Cardinalis sanctae Mariae in Cosim. Ego GG. Presb. Card. Callisti. Ego Guido Presb. Card. sancti Chrysogoni. Ego Imarus Tusculanus Episcopus. Ego Ugo Ostiensis Episcopus. Datum Romae apud S. Petrum per manum Bofonis sanctae Romanae Ecclesiae Scriptoris, V. Non. Maii Indictione I. an. Incarn. Dom. MCLIII. Pontificatus vero Domini Eugenii PP. III. an. IX.

LIII.

Confirmatio honorum omnium, & jurium sanctae Astenensis Ecclesiae, quorum directum dominium soli Episcopo conceditur.

Ecclesia hujus Canonice bona pariter omnia confirmavit Sergius PP. II. Const. Cum divina, dat. anno IV. Pontif.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Anselmo Asteni Episcopo, suisque successoribus; regulariter substituendis, in perpetuum.

IN eminenti Sedis Apostolicae specula, disponente Domino, constituti fratres nostros Episcopos fraterna charitate debemus diligere, & Ecclesiis, quibus Domino militare noscuntur, suam justitiam conservare. Eapropter, venerab. in Christo frater Anselme Episcopo, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Beatae Mariae, cui Deo auctore praesse dignosceris, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quaecumque possessiones, quaecumque bona, eadem Ecclesia impresentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & per vos eidem Ecclesiae illibata permanent; In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: Abbatiam S. Dalmatii de Pedona cum castro curte & valle Gessii usque ad Fenestras, & plebem ejusdem loci cum omnibus pertinentiis suis, Abbatiam SS. Apostolorum cum omnibus pertinentiis, Abbatiam de Azano cum castello & cappellis & omnibus pertinentiis suis, Abbatiam S. Christofori, plebem Quadringentiam cum castro curte & Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem Onvillensem cum omnibus Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem de Montalto cum omnibus Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem S. Mariae in Grana cum castro curte & Ecclesiis ad se pertin. plebem de Bagnasco, plebem de Duodecimo, plebem de Musantia cum omnibus Ecclesiis ad ipsam pertinentibus, plebem S. Julii de Lavegia cum castro castello & Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem S. Vincentii de Marcelengo, plebem de Predocha, plebem de Canalibus cum omnibus possessionibus & Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem de Novello cum Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem de Vitia cum Ecclesiis castro curte silvis & omnibus pertinentiis suis, plebem de Garena cum Xenodochiis & Ecclesiis & pertinentiis suis atque boscho, qui dicitur Insula S. Joannis, plebem sancti Petri de Publico cum curte & omnibus Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem de Munchiano cum Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem de Lavaldeio cum curte & Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem de Bagennis cum castro curte silva bannale & cunctis Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem S. Petri in Grado cum curte castro Eearcuo cappellis silvis & omnibus pertinentiis suis, plebem de Carazone cum castro curte

Ex Ughell. Ital. Sac. Tom. IV. ubi de Astenibus Ep.

Exordium.

Bona omnia Pontificum, Regumque, donationes continent.

Prove hic aliqua numerat.

curte & Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem S. Petri de Vico cum curte & cappellis & Eremitorio S. Ambrosii, quod dicitur Mons altus, cum ferraria valle Caustalia & castro Rivoburante, usque ad cacumina Alpium, plebem Praedolensem cum curte Castro & Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem de Bagennis superioribus cum curte castro cappellis silvis & castro Forfice usque in Bisimalta, & cum Ecclesia S. Stephani juxta fontem Brohii cum pertinentiis suis, plebem Moeoxinam cum omnibus Ecclesiis ad se pertinentibus, plebem S. Albani cum castro curte Ecclesiis molendinis & silvis, castrum, quod vocatur Altavilla, cum curte & pertinentiis suis: quidquid habetis in Monte magno, castrum, Constantinis cum pertinentiis suis, Coprile cum Comitile, Comitatum, qui dicitur Serralonga, silvam, quae dicitur Populare cum castris & villis infra contentis, Cerasolas cum castris & pertinentiis suis, castrum Summe-ripe de Boscho cum suis pertinentiis, castro Summae ripe de Paterno cum suis pertinentiis, Cajaracum cum omnibus suis pertinentiis, castrum, quod dicitur Montaldum, Comitatum & receptum Pollensium, Comitatum Civitatis & totius Episcopatus cum publicis functionibus, & quae largitione Imperatorum Asteni Ecclesiae rationabiliter collata esse noscuntur. Sancimus praeterea, ut omnes decimationes vestri Episcopatus, exceptis iis, quae de laboribus suis, quos propriis manibus vel sumptibus excolunt, Monachis a Sede Apostolica indultae sunt, secundum sacrorum Canonum instituta sine alicujus contradictione in vestra dispositione consistant. Quod si feudali consuetudine de decimis lites emerferint, ecclesiastico tantum iudicio terminentur. Liceat quoque vobis, exactiones, quae sub praetextu feudi vel alia occasione in Ecclesiis sunt a laicis remove. In Parochialibus vero Ecclesiis, quas in vestro Episcopatu Monachi seu Regulares Canonici tenent, juxta decretum praedecessoris nostri felicitis memoriae Papae Urbani Presbyteros elizant, & vobis praesentent, quibus, si idonei fuerint, animarum curam vos debetis committere; ut de plebis quidem cura vobis respondeant, eis vero pro rebus temporalibus ad eorum loca pertinentibus dignam subjectionem exhibeant: salvo nimirum Apostolicae Sedis privilegio. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnino profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei ac Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat; Cunctis autem eidem Loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen.

Bull. Rom. Tom. II.

EGO EUGENIUS Catholicae Ecclesiae Episcopus. Ego Conradus Sabinensis Episcopus subsc. Ego Otto Diac. Card. S. Georgii ad Velum aureum fs. Ego Joannes Tusculanus Episcopus subsc. Ego Guido Diac. Card. S. Mariae in Porticu fs. Ego Otto Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano fs. Ego Hugo Ostiensis Episcopus fs. Ego GG. Presb. Card. tit. S. Callisti fs. Ego Guido Presb. Card. tit. B. Chryf. fs. Ego Ubaldus Presb. Card. S. Praxedis fs. Ego Manfredus Presb. Card. tit. S. Sabinæ fs. Ego Aribertus Presb. Card. tit. S. Anastasiae subsc. Ego Presb. Card. tit. S. Pastoris fs. Datum Romae apud S. Petrum per manum Rolandi Presbyteri Cardinalis ac Cancellarii, XVII. Kal. Junii, Indict. I. Incarn. Dom. anno MCLIII. D. Eugenii Papae an. IX.

LIV.

Monasterium S. Benedicti de Saxo Laterone Clusinae Diocesis sub protectione Sedis Apostolicae recipitur, ejusque bona omnia confirmantur.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Astoni Abbati Monasterii sancti Benedicti de Saxo Laterone, ejusque fratribus tam praesentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum

Religiosis desideriis dignum est facilem praebere consensum, ut fidelis devotio celerem fortitur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & praefatum Monasterium, in quo divino eius obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quaecumque possessiones, quaecumque bona idem Monasterium impresentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permanent; In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: Ecclesias sancti Blasii Belicionis, sancti Salvatoris Stratenfis, sancti Leonardi, in qua est Hospitale de Trabe Donati, Ecclesiam sancti Christofori in Serafica, Ecclesiam sancti Salvatoris Schifae. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, praefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione atque sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva Diocesano Episcoporum canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostram concessionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat

Eugenii PP. & S. R. E. Card. sub- scriptiones.

Dat. die 16. Maii an. Domini 1153. Pont. an. IX.

Ex Originali in Abbatia Amiana edito Ughell. Ital. Sac. Tom. I. ubi de Clusina Episcopo.

Exordium.

Decretum confirmationis huius ad hoc Monasterium spectantium.

Et exemptionis a quacunque molesta, vi & sub solitis clausulis.